



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse
Licitus**

Terillus, Antonius

Leodii, 1678

Quæst. XIX. Vtrùm licitum sit impugnare opinionem, quam quis tutam
esse existimat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)

QUÆSTIO DECIMA- NONA.

Vtrum licitum sit impugnare opinionem, quam quis tutam esse existimat?

CELLADEUS postquam tradidit, inutilem esse laborem Theologorum, qui partem suæ opinioni contrariam docent esse tutam, paradoxum paradoxo addens, *quæst. 12.* contendit, eundem laborem illicitum esse & peccaminosum. Hoc uno dicto omnes benignæ sententiæ Auctores, id est, omnes omnino Doctores, qui per sæculum integrum in Ecclesia floruerunt, sceleris condemnat, eosque non solum inutiliter, sed in maxima suarum resolutionum parte etiam turpiter laborasse contendit. Quem, quæso, tam audax accusatio ad communem tot innocentium, imò tot sanctissimorum sapientissimorumque virorum de Ecclesia optimè meritorum, causam defendendam non excitaret? Pudet me, fateor, quoties video hominem serium, tam audacter, nullo tot sapientum habito respectu, talia effutientem. Nec pudet tantum, sed etiam talis hominis me miseret, eò quòd illum propriis imaginationibus, iisque debilissimis, tamquam argumentis validissimis abreptum videam. Unde timeo, ut eum ab illis avellere possim. Quid ergo faciam? omittamne defensionem tam necessariam? Absit. Curandum saltem erit, ne tam perniciosa persuasio aliorum animos subeat, & ut ex aliquorum mentibus eyellatur, si quas suspicio tam absurda invalerit. Hoc ut præstem, sit

ASSERTIO PRIMA.

illicitum est cuivis impugnare quidquam tamquam peccaminosum, quòd sufficienter ipsi constat esse licitum; aut quòd ipse, omnibus pensatis, absolute credit esse honestum.

2. PROBATUR. Qui talia impugnat, multiplicat præcepta certò non lata. Ergo claudit cælum proximo, quem instruit; cum viam salutis difficiliorem reddat, quam Deus illam instituit. Et quidem hoc facit absque ulla necessitate, immo contra veritatem sufficienter notam. Ergo absque dubio peccat. Sic peccaret, qui doceret nuptias esse malas, aut homines sub peccato obligari ad communionem quotidianam, quia præcepta multiplicaret. Multò magis peccaret, qui doceret rem à Deo præceptam esse malam & prohibitam. Sic peccaret, qui doceret, homines post votum continentiæ teneri ad nuptias, quia solveret mandatum reddendi vota. Audiatur Christus *Matth. 5. 19.* *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno Cælorum.* Et quidem inevitabiliter peccat talis homo, quando certò

constat, Deum aut non præcepisse rem talem, aut oppositum præcepisse.

Sed peccat etiam, quando absolute iudicat rem esse bonam, quam docet esse malam; tum quia reus est in conscientia sua corundem malorum, quorum reus fuisset, si certò scivisset rem illam esse bonam; in utroque enim casu expresse operatur contra conscientiam. Præterea in utroque casu mentitur, & consequentia decipit proximum in re summi momenti contra jus indubitatum illius. Alia ad idem probandum afferri possunt, sed in re perspicua non opus est plura coacervare.

Hinc inferitur, neminem ex iis, qui benignam sententiam sequuntur, licite impugnare ullam sententiam ut absolute insufficientem pro regulandis conscientiis, quam certò scit esse probabilem. Ratio est, quia mentiretur, idque in re summi momenti, cum per ultimam suam sententiam absolute existimet, oppositum esse verum.

ASSERTIO II.

Sæpe licitum, immò aliquando præceptum est, alios docere ea esse illicita, quæ scimus, aut merito presumimus esse illis tuta.

3. PROBATUR. Omnia tuta sunt invincibiliter ignorantibus illa esse prohibita. At sæpe contingit, aliquos invincibiliter ignorare legem, quam alii certissimè norunt. Ergo sæpe multa sunt aliquibus tuta, quæ aliis sunt certò inhonestæ. In hoc casu, aut semper, aut fere semper licet ignorantem de veritate instruere, & sæpe ad hoc strictè obligamur, quando scilicet, officium Pastoris, Magistri, Superioris, Confessarii, aut Instructoris id postulat. Ecce, sæpe licitum, immo sæpe necessarium est, docere ea esse illicita, quæ iis, quos instruimus, sunt tuta. Et sanè, cum hoc ex principiis Celladei, admittentis ignorantiam invincibilem à toto excusare, demonstrativè sequatur, mirum est, eum hoc non vidisse, sed cum omnimoda universalitate tradidisse oppositum, suamque sententiam aliis argumentis non roborasse, quam quæ ipsemet in his casibus solvere tenetur, ut clariùs constabit, quando objectiones ponderabimus. Interim laudanda est Dei providentia, quòd permiserit hominem in illis ipsis rebus, cæteroquin clarissimis, ob defectum obvius terminos debite distinguendi, patenter errasse, in quibus viros sanctitatis ac sapientiæ laude clarissimos, plurimosque Ecclesiæ Doctores non solum operis inutilis accusat, sed etiam sceleris ac peccati damnat.

ASSER-

Horrenda
accusatio à
Celladeo
Theologis
illata.

Sæpe tenemur docere ea esse mala, quæ tuta sunt iis, quos instruimus.

ASSERTIO III.

In rebus incertis licet impugnare ut directè illicitum, quod absolute tutum putatur.

In rebus incertis, Theologi saepe tenentur, & semper possunt conari eam partem impugnare ut directè illicitam, quam omnibus inspectis tutam reputant.

4. **PROBATUR.** Theologus, cui casus solvendus proponitur, tenetur suum munus implere. Munus autem ipsius postulat, ut veritatem diligenter inquirat, atque deinde proferat, quod sentit. Jam fieri poterit, ut Theologus, determinando casum, inveniat rationes rei propositæ inhonestatem directè probantes rationibus ejusdem rei honestatem probantibus prevalere. Rursus, hoc non obstante, fieri etiam poterit, ut existimet; rationes rei honestatem confirman-tes esse certò probabiles, & consequenter, ut reputet rem illam, omnibus omnino rationibus (etiam reflexis) debitè examinatis, esse licitam. In hoc casu, qui certè frequens est, Theologus ita tenetur dicere rem illam esse absolute licitam, ut etiam tenetur rationes exponere, quibus motus est ad ejusdem inhonestatem ex vi rationum directè tantum probantium asserendam. Tenetur, inquam, ita dicere, quando totum hoc ab ipso exigitur, & ipse in se assumpsit munus utroque modo casum resolvendi, & sincerè exprimendi quod sentit. Jam nulli dubium esse potest, quin hoc sit verum, quando casus est novus, & antea examinatus non fuit. Verùm eadem ratio valet de casibus antea examinatis, & utrimque certò probabilibus, quia probabilis prioris Theologi resolutio non tollit, quo minus secundus & tertius Theologus similem laborem assumat, paremque ad casum illum resolvendum suumque munus implendum industriam adhibeat, quia omnium Theologorum munus postulat, ut in rebus incertis ad veritatem indagandam, si fortè inveniri possit, sedulò incumbant. Ergo in rebus incertis saepe tenemur, & semper licitè possumus conari eam partem impugnare ut directè illicitam, quam, omnibus inspectis, tutam reputamus.

Ratio à priori.

5. Probatum secundò à priori. Quando partem aliquam, omnibus inspectis, esse & judicari tutam dependet ab eo, quòd illa antea validissimè impugnetur, tunc absque dubio licet partem illam impugnare, quia hoc planè necessarium est, ut sciamus, utrùm pars illa sit tuta & à Deo permessa: sed ultima resolutio Theologi, dicentis rem, omnibus inspectis, esse licitam, necessariò dependet à valida ejusdem impugnatione, seu à feria omnium, quæ in contrarium afferre potest, consideratione. Hac enim consideratione non præmissa, non implet munus suum, nec certò dicere potest, rem illam esse certò probabilem, ut patet. Ergo in rebus incertis licet Theologo impugnare quod tutum existimat. E contrario, si, disputatione præmissa, ex vi rationum directè probantium credat, rem illam esse illicitam, eoque non obstante, honestas rei illius ab ipso probabilis judicetur, ex hoc ipso certa ejusdem probabilitas legitime inferitur, ut dictum est *quest. 6. de Consc. prob.* Porro in hac certa probabilitate ultima resolutio per rationes indirectas & reflexas fundatur. Ergo non modò licitum, sed valde expediens est, aut etiam prorsus necessarium præmittere propriam sententiam de opposito, ad hoc ut veritas reflexa certius eliciatur.

ciatur, ac ultima tandem casus resolutio proferatur.

6. Probatum tertio, declarando diversitatem, quæ inter diversa tuta certissimè intercedit. Indistinctio enim, & confusio omnium tutorum est radix æquivocationis, ex qua Cellædeus deceptus est. Tribuit enim omni tuto, quod uni tantum convenit; cum tamen certum sit, aliud uni tutorum generi, aliud alteri tribui debere. Itaque alia sunt tuta per se, alia solum per accidens. Illa sunt tuta per se, quæ certò constat esse permessa. Sunt autem & dicuntur esse talia per se, quia supremus creaturæ rationalis gubernator directè & per se voluit ea exerceri posse absque peccato, suamque hanc voluntatem hominibus expressè declaravit. Illa sunt tuta solum per accidens, quæ ob aliquam operantis dispositionem, per accidens & non ex directâ Dei intentione illi inexistentem, ad peccatum imputari non possunt. Talia sunt, quæ ex errore invincibili creduntur esse licita, cum tamen verè sint illicita, & si veritas innotesceret, absque peccato patrari non possent. Ex hoc sequitur alia *tuti divisio*. Aliud enim omnibus, aliud uni solum, aut paucis tantummodò est tutum. Aliud est tutum huic & non illi. Aliud illi & non huic. Horum omnium ratio eadem est, quia scilicet omnes certò norunt aliqua non esse peccaminosa, & illa sunt tuta omnibus. Alia ab omnibus ferè sciuntur esse illicita, quæ tamen ab uno aliquo, vel paucis invincibiliter creduntur esse permessa. Alia ab hoc, non ab illo, alia ab illo non ab hoc invincibiliter reputantur licita, adeoque quod tutum est illi, huic tutum non est, & è contra. Hisce positis,

Multiplex tuti divisio.

7. Probatum assertio hoc modo. Illicitum quidem est impugnare, atque pro peccaminosis proponere, quæ per se sunt tuta, juxta dicta in *prima assert.* Nihilominus certò licitum est impugnare atque evertere, quæ sunt solum tuta per accidens huic, & non illi, ut dictum est in *secunda assertione*. Et ratio est, quia ubi veritas ac Dei voluntas certò innotescit, justum est, & saepe necessarium errantes instruere, & efficere ut amplius absque peccato non agant, quæ antea tuta conscientia faciebant. Eadem portò est ratio de omnibus, quæ sub opinione hinc inde cadunt. Nam illa sunt solum tuta per accidens, scilicet propter ignorantiam, vel errorem invincibilem. Itaque cum non constet, an verè secundum se sint, vel non sint permessa à Deo, & unusquisque non solum licitè, sed valde honestè omni diligentia inquirere possit Dei voluntatem, donec eam invenerit; utique sequitur, cuique licitum esse impugnare opinionem, quam tutam ac veram reputat. Nec mirum, quia Deus hoc ipsum aut præcipit, aut consultit. Præcipit id, quoties veritas non est sufficienter inquisita, quia nisi sufficienter diligentia præcesserit, peccat qui facit id quod licitum putat, si habeat motiva suadentia illud esse illicitum, ut patet. Consultit verò id ipsum, ut sic veritas à Deo directè intenta eliciatur. Rursus spes adest veritatem ipsam certò invenienda, quia sicut in prioribus saepe factum videmus, sic in posterioribus futurum speramus, ut sedulè Theologorum diligentia, veritas innotescat, & ea certò sciantur esse inhonesta, quæ jam sunt certò probabiliter licita, & reflexè considerata communiter habentur tuta.

Tota per se non sunt impugnanda, sed tuta per accidens impugnari possunt.

8. Probatum quarto. In rebus incertis, quæ quoad nos sunt solum tuta vel non tuta per accidens, licet rationes investigare ad probandum esse licitum, quod probabiliter tantum creditur.

Licet impugnare, quod creditur inhonestum.

ditur esse peccaminosum. Ergo ex opposito licet impugnare quod probabiliter creditur licitum, ac rationes investigare, quibus illud convincamus esse inhonestum. Tenet consequentia, non solum ex paritate rationis, sed etiam, quia quidquid afferri potest ad probandam aut improbandam honestatem unius, æquè valet ad alterius honestatem vel inhonestatem comprobendam, ut patebit, ubi rationes Celladei examinabimus. Probarur antecedens, quia hoc jus libertati competit, ut in rebus incertis rationes querat, quibus veritatem, si possit, sibi faventem reperiat; nec in hoc ulli injuriam facit, aut ullam rectæ rationis regulam transgreditur. Sic quamvis sit probabile, rem à Titio possessam ad Caium pertinere, licet Titio rationes investigare, quibus rationes Caii elidat, opinionem priorem mutet, & rem ad se pertinere convincat: similis autem ratio valet pro conscientia; quia licet fortè non teneat veritatem præcepto faventem investigare, quando semel probabiliter inveni illam libertati favere; nihilominus ex affectu erga Deum, & ipsam veritatem, quam Deus directè intendit, prudenter possum rationes excogitare, quibus in favorem veritatis pro Dei lege contra meam libertatem, sententiam feram.

In speculativis licet impugnare sententiam stabilitam.

9. Demum apud omnes in speculativis æquifimum reputatur, assertionem, etiam jam stabilitam, argumentis quatere, ut veritas illius altiores radices agat, & fortius menti inhæreat. Nec quisquam dubitare potest, quin hoc sapienter & prudenter fiat. Ergo idem locum habet in moralibus, in quibus veritas per objectionum solutionem non minùs confirmatur, quàm in speculativis. Et sanè non solum objectiones, sed etiam ipsa opinio de directa rei inhonestate est instar validi argumenti, quo absoluta rei honestas, omnibus inspectis, impugnatur. Ergo prolatio talis opinionis, ejusque confirmatio ex nullo capite potest esse magis illicita, quàm quavis obiectio contra assertionem de rerum honestate positam. Et sanè hæc omnia eò tendunt, & ad id singulariter deserviunt, ut veritas ipsa meliùs innotescat. Ergo non turpiter & peccaminosè, sed honestè & laudabiliter fiunt. Itaque veritas assertionis est inconcussa.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Obiectio 1. 10. **O**BJECT primò. Quod ex sua natura tendit in destructionem rei per se & intrinsicè bonæ est malum, & peccaminosum. Sed omnis oppugnatio doctrinæ tutæ naturâ suâ tendit in destructionem rei intrinsicè bonæ, quia omnis doctrina tuta in scientia morali est intrinsicè bona, cum ad virtutem conferat, moresque rectè dirigat. Ergo omnis oppugnatio doctrinæ tutæ est mala & peccaminosa. Sed talis est labor Theologi, qui oppugnat & quatit doctrinas, quas tutas reputat. Ergo talis labor malus est & peccaminosus. Ita Celladeus lib. 1. quæst. 14. §. unico.

Argumentum procedit ex suppositione falsa.

Celladeus juxta propriam opinionem incurrit periculum, quod aliis imponit.

Respondet in primis, argumentum hoc fundari in suppositione, quod duæ illæ assertiones Theologi sibi contradicant: si enim sibi non contradicant, una non oppugnat, nec destruit aliam. At certum est unam alteri non contradicere, ut quaestione superiore ostensum est. Ergo, &c.

11. Respondet secundò. Si hæc obiectio veram doctrinam contineret, malè sibi consulisset Celladeus hunc librum edendo; quia in primis totis viribus impugnat benignam sententiam, quæ si vera sit (est autem verissima) jam ille do-

ctrinam tutam & veram evertere satagit. Ergo ex propria sententia peccat, saltem si erret. Est autem valde periculosum ne erret, cum communem omnium sententiam impugnet. Ergo summo saltem peccandi periculo se committit. Ergo in hoc ipso peccavit, quia absque ulla necessitate sponte in hoc peccandi periculum se projecit. Et hoc quidem dictum sit ad hominem ex ipsius principis.

12. Respondet tertio, argumentum hoc æquè procedere contra impugnantes ullam sententiam veram, ac contra Theologos docentes, illud omnibus pensatis esse licitum, quod ex vi rationum directè probantium putant non licere. Quicumque enim impugnat sententiam veram, in qua homines bona fide procedunt, oppugnat & quatit doctrinam tutam & suam. Ergo omnes Theologi peccant, quicumque veram opinionem impugnant. Ergo vel S. Thomas, vel S. Bonaventura peccarunt moralia docendo, quia certum est, alterum alteri in multis contradixisse. Ergo alter eorum impugnavit doctrinam tutam & sanam. Ergo alter eorū in hoc ipso peccavit. Nescio quid dicitur sit Celladeus ad consequentiam. Horret animus credere, quòd eam admittat. Negare autem non poterit, nisi doctrinam suam in objectionem contentam solvat, ac refellat.

13. Respondet quarto. Celladeum teneri ad hanc suam doctrinam evertendam, ut se à contradictione salvet, si minùs animeret ad eam repudiandam, ut sanctos ipsos à peccato excuset. In primis enim sic arguo. Judicium & conscientia, immo & doctrina, quam homines invincibiliter ignorantes aut errantes sequuntur. Est doctrina tuta, quia, Celladeo fatente, eam sequentes à toto excusant. Ergo peccat, qui eam impugnat, si hæc obiectio veram doctrinam continet; & tamen certum est, eum sæpe peccare, qui illam non impugnat. Ergo talis homo necessariò & inevitabiliter peccat. Et hæc quidem ad indirectam responsonem abundè sufficiunt.

14. Respondet ergo directè, & in primis nego majorem in sua universalitate, quia ex bonis contrariis, alia aliis æquivalent, alia aliis præcellunt; in quo casu quod destruit aliud non est malum, sed bonum æquale vel majus. Sic lumen gloriæ expellit fidem, & perfecta charitas foras mittit timorem. 1. Joan. 4. 18. Nec tamen mala sunt, quamvis ex sua natura destruant fidem & timorem, quæ sunt intrinsicè bona. Jam in nostro casu doctrina expellens aliam tutam (si tamen eam expellat, nam sæpe non expellit, sed solum ad illius expulsionem tendit) est saltem æquivalens doctrinæ, quam expellit, & in opinione Auctorum illam approbantium est melior. Unde non sequitur, talem doctrinam esse malam.

15. Deinde distinguo majorem. Quod tendit in destructionem rei intrinsicè bonæ, si certò constat illam esse bonam, est peccaminosum, transeat major. Si Dubium sit, an sit intrinsicè bona, aut ejus bonitas sub opinione utrimque probabiliter contineatur, nego majorem. In hoc enim casu omnes ad certam veritatis cognitionem honestissimè enituntur. Jam Theologus, de quo loquitur Celladeus, versatur in re dubia, aut utrimque probabilis. Ergo ideo non malè operatur, quia tendit ad destructionem rei, quæ fortè est bona. Similis distinctio boni per se, & boni per accidens, boni huic & non illi, &c. vim majoris elidit, ejusque veritatem evertit: per accidens enim est, quòd cognitio probabilis, maxime si sit falsa, ad mores rectè dirigendos huic vel

Celladeus instans veram, illud refertur.

Celladei cōtradictio.

Principium quo Celladeus utitur.

Major distinctio eliditur.

vel illi sufficiat; quia primi parentes ante lapsum talibus cognitionibus non dirigebantur; & alii etiam dissimilibus cognitionibus utuntur. Jam qui ex studio veritatis, quæ sola est bonum intellectus per se appetendum, rem solum per accidens bonam evirit, non peccat, sed ex genere suo bene agit.

Item & minor. 16. Similiter distinguo minorem. Oppugnatio doctrinæ, quæ per se & nullâ factâ suppositione est tuta, tendit in destructionem rei intrinsicè bonæ, transeat minor: oppugnatio doctrinæ tuta solum per accidens & ex aliqua tantum suppositione contingenti, tuta huic & non illi, &c. tendit in destructionem rei intrinsicè bonæ, subdistinguo; certò bonæ, nego minorem, nisi fortè loco illius substituat aliud certò melius, aut æquivalens, ut in depulsione erroris invincibilis evenit. Probabiliter bonæ, & probabiliter malæ, transeat minor. Et nego consequentiam, quia non omnis doctrina tuta est tuta per se, sed aliqua solum per accidens, ut patet. Rursus ex iis, quæ sunt tuta per accidens, aliqua habent doctrinam oppositam certò meliorem; talis est doctrina invincibiliter quidem, sed certò erronea, cui certa veritatis cognitio præcellit. Alia habent doctrinam oppositam probabiliter meliorem, ut evenit inter opinionès utrimque certò probabiles. In hisce casibus non est illicitum doctrinam per accidens tutam convellere, eamque veritatis indagandæ studio impugnare, imo sæpe id est absolutè necessarium, & plerumque maxime expediens, ut veritas magis ac melius elucescat, atque negligentia tam directam Dei voluntatem, quam quæ per se sunt tuta indagandi civitetur.

Celladeus in proponendo arguendo in debet procedit. 17. Cæterum in casu nostro hoc etiam advertendum est, Theologum non impugnare directè ullam doctrinam, quam tutam putat. Ille enim tutam putat doctrinam reflexam, quæ habet pro objecto opinionem directè probabilem, & essentialiter s. pponit opinionem, de qua reflexè agit, esse talem. Jam Theologus ille directè non impugnat hanc doctrinam, nec contendit probare, illam esse falsam, cum illam propugnet, habeatque pro tuta conscientie regula. Quid ergo facit? indirectè tantum illam impetit, quatenus nititur auferre ac destruere objectum, in quo fundatur; eò enim solum collimat, ut, si possit, directam de talis rei honestate probabilitatem tollat. At certissime licet hoc modo impugnare doctrinam tutam, ut videre est in errore invincibili. Qui enim errorem illum anovet, non eò collimat, ut destruat generalem illam doctrinam reflexam, quod ignorantia invincibilis à toto excuset, quia scit & supponit eam esse veram; sed eò solum, ut tollat objectum, circa quod talis doctrina hic & nunc versatur, idque facit substituendo aliquid melius illo errore. Ita pariter evenit in casu nostro, quia Theologus solum nititur ad tollendum objectum, circa quod benigna sententia reflexè versatur, idque facit ex animo substituendi aliquid melius illo objecto, quodque melius illo regulat actiones honestas. Ergo non peccat, sed laudabiliter operatur. Quod si Theologus impugnet honestatem illius rei directè consideratam, non ideo impugnat rem, quam putat tutam, quia rem illam sic solum consideratam non existimat tutam, sed peccaminosam.

Obiectio 2. 18. Obicit secundò. Idem est in doctrina morali, eam esse tutam, ac in moribus, eos esse honestos. Sed illicitum est oppugnare mores honestos. Ergo illicitum est oppugnare doctrinam. R. P. A. Terilli Regula morum. PARS I.

nam tutam. Confirmatur; qui impugnant doctrinam sanam, eam non ferunt, nec sustinent. Hi autem reprobantur à S. Paulo, & tamquam male agentes censentur redarguendi. Ergo illicitum est oppugnare doctrinas tutas & sanas, atque illas docentibus contradicere. Ita Celladeus ibidem.

Respondeo mores honestos dupliciter impugnari posse: primò, contendendo eos, qui sunt circa objectum verè honesti, honestos non esse. Secundò, contendendo eos esse honestos, & tamen eos tollendo; efficiendo scilicet suâ doctrinâ, ut ob defectum alicujus requisiti amplius poni non possint. Si in primo sensu loquamur, tunc solum illicitum est impugnare mores honestos, quando certò constat illos esse honestos; nam quamdiu res est dubia, aut utrimque probabilis, nemo peccat partem alteram impugnando, etsi verè contingat, eum præter suam spem & opinionem falli, & damnare ut malum, quod est honestum; modò non leviter, sed cum debita diligentia & maturitate procedat. Hic est casus noster, ut patet. Ergo non peccat, qui errore probabili deceptus impugnat mores honestos, tradendo ea esse mala, quæ verè sunt honesta. Si loquamur in sensu secundo, sæpe licet eo modo mores honestos impugnare; hoc enim modo ille eos impugnat, qui invincibiliter errantem instruit, suâ enim doctrinâ ponit instructionem, qua error ille tollitur, in quo honestas operationis fundabatur, atque ita efficit, ut similis actus à voluntate amplius elici non possit. Hoc modo Theologus impugnat sententiam tutam, quia conatur aliam persuasionem, & quidem, ut ipse putat, meliorem in mentes auditorum inducere, qua stante, tollitur prior persuasio, à qua actus honestus dependebat, atque ita indirectè actus ille inhonestus impeditur, cum ob defectum suæ causæ amplius elici non possit. Hæc via indirecta impugnandi, seu potius tollendi actus honestos licita est, quando aut certum est, aut certò probabile, quòd persuasio, in qua illi fundatur, sit erronea. Tunc enim iusto veritatis zelo, ac prudenti spe melioris & appetibilioris regulæ, incitatur ad priorem persuasionem eradicandam, atque ita ad indirectè impediendas illas operationes, quæ antea per accidens tuta & honestæ erant.

19. Ad confirmationem, peto à Celladeo, ut vel unum Interpretem afferat, qui dicat aut sentiat, S. Paulum nomine doctrina sana intellexisse doctrinam veram quidem sed incertam, de qua nobis non constat quòd sit vera, cum Doctores præcipui hinc inde probabiliter de illâ diversa sentiant. Si nullum afferre possit, (& haud dubiè nullum potest afferre, cum textus ipsi apertè loquantur de doctrinis certis, & Interpretes, quantum hæcenus observavi, de solis indubitatis doctrinis loca illa accipiant) cur quæso similia objicit, quæ in sensu obvio ac legitimo ad rem non faciunt? Immo cur Sacram Scripturam ad ea extendit, ad quæ juxta sensum, quem litera præ se fert, quemque Interpretes, absque ulla exceptione aut apparenti extensione ad doctrinas incertas, pro solis doctrinis certis amplectuntur, extendi non potest? Ecce Paulus reprehendit eos, qui doctrinam sanam, id est, certam & indubitam non sustinent, sed à veritate ad fabulas se convertunt, illosque redarguendos esse docet. At nec S. Paulus, nec ullus eos reprehendit, qui in rebus incertis & utrimque probabilibus sese mutuo impugnant. Ergo Theo-

Mores boni circa objectum verè honesti licet impugnantur, idque dupliciter.

Celladeus incongruè citat S. Scripturam.

Theologus, de quo est sermo, non reprehenditur à S. Paulo, ut Celladeus absque fundamento arbitratùr.

20. Dices: illa doctrina est sana, quæ tam utilis est ad peccatum arcendum, & meritum acquirendum quam alia doctrina. Atqui talis est per nos opinio probabilis etiam falsa, quia qui illam sequitur, & peccatum vitat, & meritum accumulatur, immo nil minus accumulatur, quam si doctrinam veram ac certam secutus fuisset. Hic est sensus Auctorum benignæ sententiæ. Ergo qui illam doctrinam impugnatur, sanam doctrinam non sustinet. Ergo & censuram S. Pauli incurrit, & malè facit, quia doctrinam sanam evertere satagit. Ita Celladeus partim innuit, partim dicit loco citato.

Doctrina
falsa non est
proprie lo-
quendo do-
ctrina sana.

Respondeo. Quamvis doctrina probabilis, etiam falsa, redderet operationem, quam dirigit, tam meritoriam, quam doctrina vera & certa, & sic in aliquo sensu æquivoco dici possit sana; tamen non est doctrina sana, in sensu, quem S. Paulus doctrinam sanam intelligit. Ergo nemo ex illo textu contra Theologum impugnantem opinionem probabilem tutam rectè arguit. Deinde peto à Celladeo, ut proferat Auctores benignæ sententiæ, qui communiter dicant, opinionem probabilem falsam, aut errorem invincibilem esse doctrinam sanam in sensu Apostoli. Dicunt illi quidem, opinionem probabilem, & errorem invincibilem esse cognitiones tutas, & aliquo modo sanas, quia qui operatur juxta illorum præscriptum non peccat, sed omnibus pensatis laudabiliter operatur. Hæc illi, & benè. Sed ubi, quæso, invenies eos, qui tales doctrinas pleno ore, in sensu dogmatico S. Scripturæ & non cum restrictione aliqua sanas appellant? Error certè non est doctrina in tali sensu sana, quia sanitas non nisi in completa omnium humorum consonantia consistit. At falsitas & error continet dissonantiam inter actum & objectum. Ergo error non est doctrina sana in sensu dicto. Certè sanum plus dicit, quam tutum, quia multæ medicinae tutæ sunt, quia non nocent, etsi non sint sanæ, eò quod sanitatem non inducant. Fateor ergo opinionem probabilem de rei honestate esse opinionem in praxi tutam; illam tamen, sive vera sit, sive falsa, non sine vocis restrictione doctrinam sanam appellare ausim. Si falsa est, non est in dicto rigore sana. Si vera est, non ideo est doctrina, quam simpliciter & rigorosè sanam appellamus in sensu Sacræ Scripturæ, quia an vera sit formidamus, cum non nisi probabiliter credamus illam esse veram.

21. Instabis. Cur non dicetur sana, si & peccatum, seu animi morbum & mortem arceat, & meritum, quæ est virium animi augmentum, non minus, quam si esset vera & certa, augeat?

Fidelitas in
Celladeo
desideratur.

Respondeo, me hæc iterum in Celladeo desiderare fidelitatem. Proferat enim graves Auctores benignæ sententiæ, qui communiter dicant, operationem, ab errore invincibili aut ab opinione probabilis falsa regulatam, esse tam bonam ac meritoriam, quam est operatio, quam cognitio vera & certa dirigit. Si eos proferre non possit, sicut non potest, desinat suam imaginationem pro eorum communi sententia venditare. Nec sufficere, si unum aut alterum eo modo incidenter loquentem proferat; hoc enim non sufficit, ut hæc sit commu-

nis benignæ sententiæ Auctorum opinio, ut patet. Itaque dico opus à doctrina erronea regulatum non esse tam bonum, quam opus à doctrina certa profectum, quod probatum est supra *quest. 4.* Itaque doctrina erronea non est absolute sana, ne quidem in hoc sensu, cum in ordine ad sanitatem & vires animæ augendas defectum habeat. Est quidem tuta per accidens, & aliquo modo prodest, non tamen est tuta per se, & multò minus simpliciter sana in sensu Apostoli, tum quia defectum habet; tum quia operationes, quas dirigit, reddit minus bonas, quam cognitio vera & certa; tum vel maxime quia est falsa, & discordat ab objecto, quod proponit. Jam Theologus impugnans huiusmodi doctrinam, eo sine laborat, ut aliam utiliore & saniore, imò simpliciter sanam ejus loco substituatur, quæ regulat operationes humanas, easque meliores reddat, quam quæ ab errore regulantur. Ergo non malè, sed benè & laudabiliter talem doctrinam impugnatur.

22. Cæterum hic omitteadum non est, tam Celladeum quam alios nostros adversarios mirè æquivocare in exponenda benignæ sententiæ. Nos expressè docemus, nullum actum bonum immediate regulari posse nisi à cognitione vera & certa. Itaque nullam doctrinam aut cognitionem sanam dicimus, nisi quæ vera est & certa, quamvis aliqua doctrina nec certa nec vera dicatur & sit tuta, quatenus fundat consultationem evidentem, qua de operationis honestate certificamur. In tantum enim dicimus, opinionem probabilem esse sufficientem regulam objectivam & remotam actionis honestæ, in quantum occasionem præbet, ut intellectus per principia synderesis reflexa novam consultationem instituat, atque ita confurgat ad formandum dictamen certum & infallibile de honestate operationis sequentis. Jam opinio probabilis, sive vera sive falsa, non ingreditur hanc consultationem tamquam præmissa, sed tamquam objectum, ut sæpe dictum est. Itaque nulla opinio probabilis, & nulla probabilitas aliter dici potest tuta morum regula, nisi remotè & occasionaliter. Jam Theologus, impugnans opinionem probabilem, hanc immediatam morum regulam indirectè tantum impetit, quatenus nititur ad probabilitatem, aut errorem evertendum, in quorum altero certum conscientiæ dictamen tamquam in objecto fundabatur. At hoc sæpe necessarium est, & semper aut fere semper licet, ut ex dictis aperte constat.

23. Hæc, nec aliæ sunt rationes, quas Celladeus pro magna illa accusatione, qua omnes benignæ sententiæ Auctores peccati condemnat, confirmanda attulit. Verùm illæ nullius roboris sunt, cum fundentur, in aperta rerum & vocum æquivocatione. Distinctiones, quas adhibui, omnibus obvix sunt; illæ autem tam clarè totam quæstionis hujus naturam exponunt, atque singula ita in suas classes distribuunt, ut nullum de rei veritate dubium superesse sinant. At Celladeus in re tam obvia nullius distinctionis meminit, sed diversissima, sibi quæ in ordine ad considerationem moralem dissimilia, una voce comprehendit, unoque sensu accipit, & omnibus ea tribuit, quæ ob specialem rationem specificam uni tantum parti conveniunt.

Nos nullam
doctrinam
sanam
agnosci-
mus præter
veram & cer-
tam.

Ingens Cel-
ladei accu-
satio est
nullius po-
deris.

QUÆ.